

Alcoholis sextuplum.

Misce; digere leni calore per biduum; dein cola et adde pulveri novam portionem alcoholis; digere denuo per viginti quatuor horas; dein cola exprimendo. Ex tincturis commixtis, addita aquæ destillatæ parte quarta, in balneo aquæ destillando eliciatur alcohol. Resinam in retorta remanentem, effusa aqua, ablue aqua fervida, et leni calore siccata usui serva.

GUMMI RESINARUM PURIFICATIO.

Gummi-resinæ, vulgo venales, impuræ gelu vel leni calore probe siccatae, in pulverem terantur, et ab adhærentibus quisquiliis ope cribri setacei separentur. Sic purificatur

Gummi-resina ammon.

———— Myrrha.

———— Sagapenum.

———— Galbanum.

———— Assa foetida.

OPII PURIFICATIO.

R. Gummi-resinæ papaveris somniferi,

CAMPHORA.

151

vulgo *opium* dicti, impuri in frustula concisi, libram unam.

Alcoholis diluti libras duodecim.

Digere leni calore, subinde agitando, donec solvatur opium; dein per chartam cola, et leni igne in balneo aquæ destilla ad spissitudinem massæ pilularis, vel si placet ad siccitatem, ut in pulverem teri possit.

CAMPHORA ejusque PRÆPARATA.

CAMPHORA PURIFICATA.

℞. Camphoræ vulgo venalis impuræ quantum placet.

Alcoholis quantum opus,

Ut solvatur. Alcohol sic camphora saturatum cola, et liquori colato adde

Aquæ destillatæ quantum opus,

Ut camphora omnis præcipitetur; dein effunde liquorem, et camphoram leni igni expose ut siccet et in massam coëat. Si partibus colorantibus adhuc inquinatam iisdem